52 165

nunc primum referam. Conabor, si qua in re potero, ipso opere animum ad quævis Tibi vicissim præstanda officia paratissimum testificari.

Initio hujus Anni ab Heredibus D. D. sunt traditæ mihi sunt literæ, quibus Virum Celeberr: rogarti ut Dorpatum transmittendum curaret Volumen I. Scriptorum Rer. Suecicar. medii Ævi. Humanis interesse rebus desiit Vir Optimus d XXIV Oct. A. 1817. sub prelo adhuc sudante Volumine I. Quo acerbiori casu accidit, ut integrum non antea prodiret, quam ad finem vergente A. MDCCCXVIII. Pranumerando, sit venia verbo, omnia hujus Operis exemplaria sibi dudum vindicaverant Populares et Extranei aliquot. Horum vero quibusdam dein mortuis et nolentibus heredibus, quæ solvenda restabat, pecuniæ summam pendere, licuit Regio hujus Collectionis edendæ caussa constituto Collegio quædam exemplaria emenda concedere his quoque, qui nomina antea non dederant: Circumspicienti igitur mihi qua potissimum via Te voti compotem redderem peropportune suam fidem et operam obtulit mihi, qui Upsalienses Musas nuper salutavit ornatissimus

Juvenis Reinholdus de Helmersen. Pretium Libri, X. Reichsth. Svedisch. Banco, quemadmodum in litteris pollicitus es, per negotiatorem quendam Rigensem ut solvendum cures Stockholmiæ Regio Secretario Olavo Sundel, vix opus est ut rogem. Scripta quædam Academica his litteris adjunxi. Vale Vir Celeberrime, mihique fave. Dabam Upsaliæ d. XXV. Jul. MDCCCXXI.

Accepi has litteras, quarum inscius plane eram, d. XXX Jan. MDCCCXXIII. per juvenem nobilem de Loewis, qui una cum R. Helmersenio Sueciam viserat.

Morgenstern.

R. de Helmersen non attulit librum, mihique excusavit rem omissam.